

tatis. Sed hic est error adeo manifestus, quod improbat etiam ab ipsis sectariis minus furiosis, ut jam diximus. Sic fatentur distinctiōnem hanc hierarchicam venire constanti traditione a Patribus Apostolicis, Bingham, *Orig. Eccl. lib. 1. cap. 5.* & Dodvel *ad Cyprian. dissert. 1.*

81. R. 2. Quod exemptio clericorum a potestate seculari quoad suas personas, causas, & bona non est de jure divino; quia non adest textus sacer id concedens. Imo potius sunt plures textus præcipientes omnibus indiscriminatum obedire Principibus secularibus etiam discolis, & gentilibus. Ratio id ipsum suadet: quia nullus ex eo, quod fiat clericus, aut religiosus, desinit esse civis, & pars Reipublicæ: erg. subicitur Superiori legitimo Reipublicæ, & ei obedire tenetur jure naturali, & divino. Nec hoc in dubium verti fas est.

82. R. 3. Exemptionem clericorum a potestate seculari esse de jure humano consentaneo juri naturali, & divino. Hoc est, procedere ex benignitate, & privilegio Principum; quod quidem privilegium est valde consonum rationi, & juri divino. Hoc privilegium constat ex jure civili, & canonico. Quod autem consonet juri divino, & equitati naturali patet: quia dignitas status clericalis, per quam peculiariter clerici sunt Deo mancipati, & consecrati, exigit aliter tractare clericos, ac sæculares. Præterea ecclesiastici sunt Pastores, Patresque spirituales sæcularium, & loco Dei Judices eorum in causis ad salutem æternam spectantibus: erg. rationi consonat, quod non judicentur, incarcerationentur, aut puniantur a sæcularibus.

83. Objic. Pilatus habuit potestatem in Christum juxta illud Joan. 19. *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper:* erg. multo magis omnis clericus poterit puniri a magistratu sæculari. R. Christum nullo modo fuisse Pilato, nec alteri homini subiectum, cum esset omnium Princeps, & Dominus. Habuit tamen Pilatus in eum potestatem usurpatam, & potestatem tenebrarum, permissam desuper. Voluit namque, & permisit propter nostram salutem a Pilato injuste judicari, & a Judæis injustissime crucifigi.

84. Inq. 3. An dentur casus in quibus

Princeps sæcularis-clericos pœnis coercere, aut a suo regno expellere possit? R. affirm. Si enim clerici in manifestam reipublicæ perniciem populos commoverent, pacemque regni turbarent, aut contra proprium Principem cives armarent, nec a suis Superioribus coercerentur, nec adesset alia via servandi communem tranquillitatem, possent a Principe coerceri, aut a regno expelli; quia dicta exemptio non derogat juri naturali publicæ pacis, quæ omni privilegio præferri debet.

85. Inq. 4. In quo consistat privilegium exemptionis clericorum, quoad sua bona? R. Consistere in eo, quod sint libera a novis tributis imponendis, non solum bona ecclesiastica, sed etiam patrimonialia. Verum onera, quibus bona patrimonialia, seu prophana, antequam a clerico possiderentur, gravata erant, præstari debent ab eo. Supra bona igitur a clericis possessa, nequeunt nova tributa imponi absque consensu Pontificis, & pro causa communi. Ex indulto autem Papæ possunt subsidia ex bonis clericorum quantumvis ecclesiasticis exigi a Principe seculari. Quod ex pietate christianorum Principum libera sint bona ecclesiasticorum est conforme lumini naturali. Unde Artaxerxes licet Rex Gentilis Arcæ publicæ custodibus præcepit. *De universis Sacerdotibus, & Levitis, & Cantoribus, & Fanitoribus Nabinais, & Ministris Domus Dei butus, ut vestigal, & tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos. 1. Esdræ 7.*

86. Inq. 5. Quid concedat clericis exemptio quoad suas causas? R. Concedere ne clerici accusari, conveniri, aut judicari possint apud Judicem sæcularem, sed apud ecclesiasticum. Hic enim est Judex legitimus clericorum. An autem causæ ecclesiasticorum adduci possint de tribunali ecclesiastico ad Judices sæculares per viam violentiæ, vulgo *por la fuerza*, ut fit in Hispania? Dissident AA. Supponunt omnes non posse Judices sæculares cognoscere de illis per viam jurisdictionis, quia illa carent in clericis, & eorum causas. Quæstio solum est de appellatione, aut defensione, ut dicunt, declarando, an fiat violentia a Judice ecclesiastico? R. Quod quando violentia, aut injustitia est notoria, nec alio modo valet pars aperte læsa eam

eam repellere, nec se defendere, poterit caute debita moderatione appellare ad Regem, aut ejus Magistratum pro sua defensione; quia hæc est de jure naturali. Aliter tamen minime licet dicta appellatio. Appellare enim non servato ordine juris, aut ad Judicem non legitimum, illicitum est. Hoc enim displicet piis Regibus, & Magistratibus, qui publicæ paci, & tranquillitati invigilant.

87. Objicies: Paulus in sua causa ad Cæsarem appellavit *Act. 25.* erg. licitum est etiam clerico appellare ad Regem, vel ad ejus Tribunal. R. Apostolum ad Cæsarem appellasse de manifesta injustitia, & violentia, a qua nequibat se alia via defendere, nec liberare. Sic autem licere jam dictum est. Væ autem illis, qui ne parent Episcopis, justa præcipientibus, aut ne apud ipsos compareant, recurrunt ad tribunal sæculare passim sine justa causa.

88. Inq. 6. An præmissis clericorum privilegiis gaudeant ordinati in minoribus, si matrimonium contrahant? R. neg. Quia

non vult Ecclesiæ, nec concedit, ut quis solutus ab obligatione continentiæ, & Deo se arctius mancipandi, volensque vacare conjugio, simul suis privilegiis potiatur. Nam, *qui sentit commodum, debet sentire incommodum, De reg. juris. in 6.* Episcopus autem, qui conjugatum tonsuraret, vel tonsuratum ante matrimonium eo durante, ad minores ordines admitteret, pœnam suspensionis a collatione eorum per annum incurreret, ut habetur *in cap. ultimo, de tempor. ordin. in 6.*

89. Aliud est de viro, qui, supposito divortio legitimo, ordines etiam sacros vellet recipere; tunc enim in sententia probabiliori potest id licite facere, etiam nescia, aut invita uxore, quando hæc dedit causam divortii. Tunc igitur gauderet omnibus privilegiis clericalibus, quamvis vere esset conjugatus. Idem est, si vir ex licentia expressa uxoris recipiat ordines sacros. Tunc autem uxor, etiam mortuo viro, non posset alteri nubere, quia aperte id ei vetatur ab Ecclesiâ *cap. quia sunt, & alibi.*

TRACTATUS TRIGESIMUS PRIMUS

DE HORIS CANONICIS.

PUNCTUM I.

De natura, & præcepto divini officii.

1. Inq. 1. Quid sit officium divinum? R. Est *Quædam formula mente, & voce laudandi, precandique Deum auctoritate Ecclesiæ instituta.* Potest esse publica, seu communis, & privata, seu particularis. Prima est, quæ fit a communitate ad laudandum, precandumve congregata. Secunda, quæ fit privatim, seu extra communitatem. Dicitur *officium:* quia laudare, & præcari Deum est officium proprium clericorum, & Monachorum. *Divinum:* quia ex Psalmis, & aliis verbis sacræ Scripturæ ut plurimum est compositum. Vocatur etiam *horæ canonice* eo, quod certis horis juxta canonicas sanctiones est recitandum. Appellatur denique *pensum:* quia ad illud, tanquam ad tributum Deo solvendum, clerici adstringuntur.

C c

tur.

tur. Nomine officii divini comprehenduntur etiam Missarum celebrationes, processiones, litanie, exequie, & alia munia ecclesiastica.

2. Inq. 2. An detur præceptum officium divinum persolvendi? R. affirm. *Const. ex cap. Dolentes, de celebratione Missarum, & ex Clementina prima eodem titulo:* ubi præcipitur officium divinum diurnum, pariter, & nocturnum publice recitari in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Regularibus, & Parochialibus. Unde, ubi consuetudo legitima contraria pro aliquibus Paræciis non prevalet, gravis adest obligatio ad pensum divinum publice persolvendum: quia Ecclesia non solum intendit laudem Deo tribuere; sed etiam devotionem populi excitare. Præceptum hoc præcipue dirigitur ad Prælatos, quibus incumbit, ut officium divinum debite, ac devote quotidie celebretur; subditi vero in defectu Prælati id ipsum curare tenentur.

3. Verumtamen nec Prælati, nec subditi regulares adstringuntur in particulari vi hujus præcepti choro interesse, sed ex vi suæ regulæ, & constitutionum. Unde non peccant graviter, si aliquoties a choro absint: quia præceptum non ligat singulos, sed communitatem. Ratione tamen obligationis tendendi ad perfectionem, vel alterius capitis possunt graviter peccare, si nimia negligentia continuo, aut sedulo a choro absissent: quo in casu deberent Prælati cogere desides ad chori assistentiam, etiam alimenti subtractione, ut disponunt decreta pontificia. Similiter Prælati, esto in particulari majorem cæteris assistendi obligationem non habeat, verum propter subditorum exemplum prior omnibus divinis officiis adesse debet: nisi obsui muneris graves occupationes, frequentiaque negotia, aliamve justam causam, rationabiliter aliquoties excusetur.

4. Inq. 3. Quot religiosi sufficiant, ut præceptum recitandi horas canonicas in choro obliget? R. saltem requiri quatuor, qui commode possint convenire: quia laudatio publica, ut decenter persolvatur, exigit ad minus duo hinc, & duo inde. Quoniam unus solus in uno chori latere plus ad risum, quam ad devotionem adstantes excitaret: maxime si habeat vocem exilem, aut minus gratam. Imo licet so-

noram haberet, si occurreret ei expuere, os citare, aut quid simile, necessario chorus cessaret. Igitur duo saltem in quolibet chori latere requiruntur. Solumque potest admitti aliquis casus singularis, & urgens, in quo per tres tantum religiosos præceptum chori in horis canonicis adimpleretur.

5. Nec audiendus est quidam recentior, qui oppositum asserens, immerito carpit Salmanticenses, & alios, dicens sufficere tres religiosos ad pensum divinum in choro persolvendum. Ad quod dicimus, quod aliud est teneri recitare in choro, aliud officium divinum publice in choro rite persolvere. Primum pendet solum ab statutis, seu legibus cujusque ordinis; secundum requirit etiam numerum sufficientem, ut sit decora, & sonora laudatio choralis.

6. Idem tenet, non adimpleri Præceptum celebrandi officium in choro persolos novitios: fatetur affirmantem sententiam esse communiorem, sed ipse negativam sustinet. Dubium hoc solum excitatur pro aliquo casu non frequenti: quia regulariter, ut par est, cum novitiis etiam professi ad chorum conveniunt. Imo nunquam vidimus solos novitios persolvere in choro officium divinum, quin saltem aliqui ex professis assistant. In casu ergo raro verior est sententia affirmans: quia vere celebratur officium chorale, excitaturque populus ad devotionem ab his, qui in favorabilibus reputantur religiosi; & sicut gaudet eorum privilegiis, ita ad eorum onera adimplenda concurrere possunt.

7. Inq. 4. Quot sint horæ canonicæ? R. Esse septem: nempe matutinum cum laudibus, & sex horæ minores, juxta illud *Ps. 113. Septies in die laudem dixi tibi.* Et juxta septem dona Spiritus Sancti, & præcipue juxta septem mysteria Passionis Christi, ad quæ recolenda ab Ecclesia horas fuisse institutas indicant sequentia carmina relata in Glosa. *Capit. I. de celebrat. Miss.*

Hæc sunt septennis, propter quæ psallimus horis.

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.

Prima replet sputis: causam dat Tertia mortis.

Sexta cruci nescit: Latus ejus Nona bipertit.

Vespera deponit, tumulo Completa reponit.

PUNCTUM II.

De circumstantiis in publica recitatione observandis.

8. Inq. 1. Quot, & quæ circumstantiæ in publica recitatione sint observandæ? R. Quod præcipue quatuor observari debent: nempe *ordo, tempus, locus, & modus.* Quæ licet in privata etiam recitatione observari æquum est; non tamen adeo strictè. Debet observari *ordo*: hoc est: quod prius recitandum est matutinum cum laudibus, deinde prima, tertia, sexta, nona, vesperæ, & completorium. Hujusmodi ordinem publice invertere est peccatum grave, si absque urgenti causa, aut frequenter fiat; quia præceptum non solum est de recitatione, sed etiam de ordine in ea servando. Si autem occurreret causa justa, vel tantum semel, aut iterum fieret, non reputatur gravis culpa.

9. Idem est dicendum *circa tempus* recitandi: debet enim sub gravi observari in publica recitatione justa præscriptam Ecclesiæ, consuetudinem legitimam, & constitutiones ejusque religionis. Nec potest anticipari, aut postponi notabiliter absque sufficienti causa: facilius potest permitti anticipatio, quam postpositio. Igitur præcisa contraria consuetudine, matutinum cum laudibus media nocte debet persolvi; ut apud nos in domibus regularis observantiæ inviolabiliter observatur. Prima primo mane, tertia, & reliquæ horæ suo congruo tempore. Vesperæ in quadragesima dicuntur hora circiter undecima ante prandium propter jejunium, quod antiquitus non solvebatur, nisi post vesperras, aut circa solis occasum. Ut ergo etiam nunc verificetur non solvi nisi post vesperras, istæ dicuntur ante prandium.

10. *Locus* ad publicam recitationem debet esse chorus, aut Ecclesia; ita ut sit

peccatum grave illam persolvere in sacristia, aut alio loco, nisi ex gravi, & notoria causa, vel nisi sacristia Ecclesiæ ita sit contigua, ut pars Ecclesiæ reputetur. *Modus* consistit in eo, quod clara, distincta, & perceptibilis voce cum attentione mentis, & modestia corporis laudes divinæ persolvantur.

11. Inq. 2. An si in choro aliqua inversio, seu transmutatio officii contingat ex errore, aut inadvertentia, ut dicendo hanc orationem, lectionem, aut commemorationem pro alia; debeat postea suppleri, aut repeti? R. negat. Quia præceptum est de recitatione suo tempore, quo transacto, cessavit, & repetitio solum deserviret ad perturbationem, aut notam caudandam. Satis est aliquid omitti, quam chorum perturbari. Ideo reprehensibiles sunt, qui in choro, aut Ecclesia ad quemlibet defectum musitare incipiunt, quia omnes, excepto Præsidente, aut correctore, tacere ibi tenentur. Immo ipse Præses, vel simulare, vel caute se gerere debet, ne adstantes perturbet, & ut notam excuset.

12. Inq. 3. An accedentes tarde ad chorum, post horam jam inchoatam, possint absque culpa inversionis prosequi cum aliis? R. affirmat. Imo non solum possunt, sed debent prosequi, ne alios perturbent; nec repetere postea tenentur, si modica pars dicta sit, quia suppletur per chorum. Si vero notabilis pars dicta fuerit, repetant postea finito choro. Idem est dicendum de occupatis in actuali servitio chori; ut parantes libros, pulsantes organa, aut lucernarii in matutinis; qui, & similes, esto aliquos versus, vel quid modicum sparsim non intelligant, aut omitant, prosequantur cum choro, qui tales defectus supplet, si vero quid notabile certo omitant, ut aliquem integrum psalmum, præcipue ex longioribus, finito choro, repetere debent. Qui spueno, expectorando, aut nares emungendo, aliquid non percipit, aut omittit, ad nihil tenetur, nisi ad prosequendum cum choro, quo melius se geret, quam repetendo ibi, quod omisit: quia omnes defectus leves, veluti necessarii suppletur choro.

13. Inq. 4. An qui summissa voce recitant in choro, ita ut ab altera parte non audiantur, satisfaciant saltem obligationi privæ officii divini? R. affirm. Supposi-

to, quod alii ejusdem lateris alta voce recitent. Quia præfati totum officium dicunt cum aliis, qui, ut membra ejusdem corporis, istis communicant. Unde dicendo summissem partem propriam, & ab aliis accipiendo partem eorum, totum officium persolvunt, quia in totum communicant, sicut illi, qui propter vocis exilitatem, aut raucitatem non audiuntur. Sed est differentia, quod isti satisfaciunt obligationi, tam privatæ, quam publicæ: quia faciunt, ut supponitur, quantum possunt; illi vero pigri, & negligentis solum privatæ obligationi satisfaciunt.

14. Igitur omnes debent in choro recitare, aut canere clara, & distincta voce, prout vires suppetant, ita ut secluso strepitu, aut surditate possint ab altera parte chori audiri, alias peccant: quia obligationi choralis non satisfaciunt. Peccatum vero erit juxta gravitatem obligationis choralis, quæ major adest in præbendis, & beneficiis, & omnibus stipendio addictis, quam in religiosis, ut ex dicendis capite sequenti patebit. Surdi, esto non audiant alteram partem, dummodo pro possibili recitent, aut canant in choro, sufficienter satisfaciunt obligationi pensus divini.

15. Inq. 5. An in officiis divinis instrumenta musica admitti valeant? R. Quod licet D. Thom. 2. 2. q. 91. art. 2. ad 4. improbet organa in lege gratiæ; tamen propter consuetudinem fere universalem toleranda sunt in Ecclesia: quia consuetudo prævalet omni legi, & rationi humane, quantumvis alias justæ. Quædam vero instrumenta musicalia, ne dicamus theatralia, quæ potius delectationi, quam devotioni deserviunt, ab Ecclesia relegari debent: & similiter quidam musici eadem pulsantes, dulcique modulamine canentes, quæ ab hominibus non percipiuntur, nec forte acceptantur a Deo, cui non guttura, sed corda placent. Quidquid sit de hoc, choro adstricti tenentur recitare summissa voce ea, quæ in divino officio organo, aut alio instrumento pulsantur. Videatur Bened. XIV. circa instrumenta musicalia, & musicorum cantus in sua encyclica incipiente: *Annus 19. Febr. 1749. & in Syn. lib. xi. cap. vii. num. vi.*

16. Inq. 6. An officium parvum B. V. & officium defunctorum, Psalmique graduales, & penitentiales obligent in cho-

ro diebus in breviario assignatis? R. Quod nec in choro, nec extra illum obligant illos, qui breviario romano utuntur, nisi consuetudo recitandi ea vigeat. Constat aperte ex decreto Pii V. initio ejusdem breviarii romani apposito. Officium defunctorum die 2. Novembris cum vespere die præcedenti, & litaniæ in die S. Marci, & in tribus diebus rogationum obligant sub gravi, tam intra, quam extra chorum. Officium parvum B. V. die quarta cinerum apud nos non obligat extra chorum; licet vix sit, qui illud devote non persolvat in obsequium Beatiss. V. M. nostræ religionis peculiaris matris, ac magnificentissimæ Patronæ. Vide Bened. XIV. *inst. Tom. 1. num. 9.*

PUNCTUM III.

De attentione, & intentione requisitis ad horas canonicas.

17. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit attentio? R. Quod attentio in communi est *applicatio mentis ad aliquid*. In præsentibus est *applicatio mentis ad canendum, vel recitandum officium divinum*. Est triplex: *ad Deum, ad sensum, & ad verba*. *Ad Deum*: ut cum recitans de Deo cogitat, & ei cor, mentem, & verba dicat, & offert. Hæc est perfectior omnibus. *Ad sensum*: cum recitans applicat mentem ad sensum verborum percipiendum. *Ad verba*: cum recitans attendit, ne erret in verbis. Hæc est inferior omnibus, sufficit tamen ad præceptum implendum: ut in eo, qui, dum recitat, per hortum deambulat, flores colligit, vel efficit alias actiones non multum distrahentes. Sed quia attentio potest esse proprie talis, nempe interior, & improprie talis, nempe tantum exterior, ideo:

18. Inq. 2. An attentio interior requiratur ad divinum officium persolvendum? R. affirm. Constat ex citato cap. *Dolentes*, ubi strictè præcipitur officium divinum *studiose pariter, ac devote* in choro celebrari. Ubi Glossa addit: *Devote secundum affectum mentis*; sed hæc omnia postulant attentionem interiorem: ergo hæc requiritur ad divinum officium persolvendum.

19. Asserendum est ergo dari præceptum ecclesiasticum recitandi, seu canendi

di officium divinum cum attentione interiori, & exteriori. Ecclesia enim in *dicto cap. Dolentes* præcipit attentionem requisitam, ut recitatio sit actus rationalis, & religionis; gaudet quippe potestate præcipiendi actus internos cum externis necessario connexos. Alias solum præciperet proferre verba officii divini, ut meruli, aut syptaci, quod nemo adstruere jure valet.

20. Inq. 3. Quæ distractio impediatur adimpletionem hujus præcepti? In explicatione hujus dubii plus voce, quam re dissident Authores. Sed breviter respondetur, quod omnis, & sola distractio, quæ plene cognita, rapit mentem ab attenta recitatione, seu prolatione verborum, impedit adimpletionem præcepti. Dicitur *plene cognita*, quia si non perfecte advertas te esse distractum, quamvis notabili spatio sic recites, peccabis venialiter ex semiplena advertentia ad distractionem, non tamen graviter, nec desinis adimplere substantialiter præceptum, quia in tali casu perseverat attentio virtualis, saltem ad verba, quæ sufficit ad præcepti adimpletionem.

21. Si autem inquiras, quando cesset, aut amittatur prædicta attentio virtualis? R. Cessare, seu amitti per solam, & omnem actionem, aut distractionem impossibilem cum illa. Actiones impossibiles sunt pingere, scribere, legere, & similes, aut confabulari, non quidem unum, aut aliud verbum proferre, aut respondere; hoc enim, sive intra, sive extra chorum ad summum est culpa venialis, & nulla, si fiat cum causa; sed ex professo admittere colloquia, seu confabulationes. Igitur hujusmodi actiones dicuntur impossibiles cum attentione virtuali, quia postulant omnem mentem, & rapiunt eam a recitatione. Ideo distractio ex eis orta, impossibilis est cum attentione virtuali; proindeque, si plene cognita non reprimatur, aut cohibeatur, omnino voluntaria evadit: ex quibus omnibus sequitur pro timoratorum solatio, quod licet cum majori attentione, ac devotione possibili recitandum sit, nihilominus semper ac sit verum, quod non plene advertisti distractionem, adimplesti præceptum recitandi. Quid facilius ex nostra parte? Quid benignius ex parte Ecclesie?

22. Inq. 4. An recitantes in choro suam partem, satisfaciunt obligationi saltem privatæ, si non attendant ad aliam partem? R. negat. Quia attentio, ut dictum est, requiritur ad præceptum adimplendum. Isti autem solum habent illam respectu partis, quam recitant; nec communicant sufficienter cum altera parte; unde debent postea totum officium repetere. Idem de recitantibus cum distractione omnino voluntaria. Aliqui eximunt istos a fructuum restitutione eo, quod reipsa recitant: decreta autem apostolica imponunt onus restitutionis solum *non recitantibus*. Verum si non satisfaciunt obligationi recitandi, nescio, quomodo excusentur ab onere restituendi. Nam tantum tenentur quis restituere, quantum debito modo omisit recitare. Unde ad rem venit illi axioma: *Si recitasti bene, recitasti*.

23. Inq. 5. An satisfaciunt huic præcepto, qui suam partem recitantes in choro, alteram non audiunt? R. Quod, si saltem indistincte, & in confuso eam audiant, satisfaciunt: quia chorus est, velut quodam corpus mysticum, & se omnibus membris communicans, & suppleens defectum perfectæ auditionis. Si autem nec in confuso illam audiant, minime satisfaciunt; quia tunc casus nullo modo communicant membra inter se. Imo chimericum est aliquos recitare suam partem, quin saltem in confuso percipiant alteram. Quomodo enim scient, quando incipere debeant, si non percipiunt, quando cæteri terminant?

24. Inq. 6. Quæ intentio requiratur ad satisfaciendum huic præcepto? R. Non requiri intentionem adimplendi præceptum, sed apponendi rem præceptam: hoc est, sufficit intentio recitandi, sicut in præcepto annuæ confessionis, & communionis sufficit illas rite apponere, ad ejus adimpletionem: quia nec Deus, nec homines jubent in suis præceptis obedientiam formalem, esto ad majus meritum consulenda sit. Imo nec requiritur intentio formalis, sed sufficit virtualis apponendi rem præceptam. Unde qui ex pia consuetudine ad chorum vadit, aut breviarium sumit ad recitandum, & recitavit, satisfecit, esto actum reflexum satisfaciendi non habuerit. Nam ipsa positio voluntaria rei præceptæ est vera adimpletio præcepti.

cepti. Hac ratione recitans horas absque intentione satisfaciendi præcepto, sed recitandi denuo, non tenetur iterum recitare, sed mutare voluntatem, & intentionem, ut etiam dicitur de audiente Missam sine intentione præcepto satisfaciendi.

PUNCTUM IV.

De his, qui ad horas canonicas tenentur.

25. Inq. 1. Qui teneantur ad divinum officium persolvendum? R. Tria esse genera personarum, quæ ad horas dicendas adstringuntur. Nempè in sacris constituti: Omnes beneficiarii: & omnes religiosi vere professi. Nullus tenetur recitare integrum officium diei, in qua obligationem contrahit, sed quod respondet tempori, seu horæ, in qua obligationem assumit: ut Subdiaconi a tertia, vel sexta illius diei, in quo ordinantur, religiosi ab hora, in qua professionem emittunt, & beneficiarii a die, seu hora, in qua beneficium voluntarie assumunt. Si autem cogantur illud per metum assumere, nec velint fructus percipere, non tenentur recitare.

26. Ordinati in sacris titulo patrimonii adstringuntur ad horas juxta veriore sententiam non ex præcepto Ecclesiæ, sed ex communi consuetudine approba ab Ecclesia: quia cap. *Si quis Presbyter, dist. 92.* & alia, quæ in contrarium adduci solent, loquuntur vel de Parochis, vel de Presbyteris servitio alicujus Ecclesiæ deputatis, non de Presbyteris simplicibus. Beneficiarii tenentur ex præcepto Ecclesiæ dicto cap. *si quis Presbyter.* Imo ex justitia: quia beneficium datur propter officium, ut dicitur cap. *Dolentes* sæpius laudato. Sacris initiati ante usum rationis huic oneri non subjacent, nisi post legitimam ætatem, & spontaneam ordinis ratiabitionem. Religiosi tenentur ad horas ex legitima consuetudine obligante sub gravi. Nec in hoc est amplius immorandum, cum ab omnibus, vel fere omnibus utriusque sexus religiosi jam dicta consuetudo unanimiter sit recepta. Verum est, quod moniales aliam quamcumque consuetudinem laudandi, præcandique Deum libentius admitterent, quia ipsis utpote latinitatis ignaris, difficilis est admodum recitatio publica, & forte diffici-

lior privata. Igitur omnes præfati debent sub gravi officium persolvere juxta breviarium in sua Diocesi, aut religione receptum.

27. Unde exceptis capitulis, & monasteriis, quæ a ducentis annis ante Pium V. proprium habuere breviarium, cæteri tenentur sive in communi, sive in particulari ad usum breviarii romani juxta formam ab eodem præscriptam; nec aliter suæ obligationi satisfaciunt. Peccatum grave committeret, qui in Ecclesia latina recitaret officium lingua græca, hæbra, aut vernacula: quia graviter transmutaret formam in breviario appositam. Communiter dicunt Authores suscipientes ordinem sacrum, seu beneficium sub gravi teneri addiscere antea formam recitandi, parareque breviarium, ne periculo omittendi officium se exponant.

28. Excommunicati, suspensi, aut degradati non sunt ab hac obligatione exempti; sicut nec religiosi fugitivi, etiam si in sacris non sint constituti, alias reportarent commodum ex iniquitate. Tamen damnati ad triremes ab hoc onere deobligantur: quia ex una parte sufficiens onus reportant sua misera sorte, & ex alia cederet in dedecus ordinis ecclesiastici: idem dicunt plures de expulsis a religione, ordine sacro non initiatis, quia nec lege Ecclesiæ, nec consuetudine adstringuntur.

29. Habens juste duo, vel plura beneficia, non tenetur ad plura officia recitanda, quia solum tenetur recitare ut unus. Ita D. Thom. *quodlib. 1. art. 13.* Unde unum tantum peccatum committit ex hac parte, si recitare omittat. Similiter quilibet septem horas omittens, non septem peccata, sed unum gravissimum in hac linea committit; quia ad omnes horas est unicum tantum præceptum. Beneficiarius autem, qui simul est Sacerdos horas omittens, duo peccata perpetrat juxta communem sententiam, unum contra religionem, alterum contra justitiam; quia ut diximus tenetur tum ex præcepto Ecclesiæ, tum ex justitia ratione beneficii, quia beneficium datur propter officium. Contra religiosum, qui est Sacerdos, esto pensum divinum ommitteret; non perpetraret duo peccata, sed unum contra religionem, quia tenetur ad recitandum ex

motivo religionis, non vero ex capite justitiæ. Idem asserimus de beneficiario in sacris non constituto.

30. Gaudens duplici prebenda in duplici Ecclesia debet recitare officium illius Ecclesiæ, in qua majori gradu potitur. Si vero in utraque æqualem possideat, debet dicere officium dignioris Ecclesiæ. Si tandem in una Diocesi habeat beneficium, & resideat in alia, ubi est diversum officium, debet huic se conformare, quia decet se conformare moribus loci, in quo habitat, & quia fortius est vinculum domicili, quam beneficii. Unde in aliena Diocesi commorans causa studiorum, vel alterius negotii debent recitare officium Ecclesiæ, in qua commorantur, & domicili habent. Quod non intelligitur de transeuntibus: Isti enim recitare debent officium juxta ritum suæ Diocesis, seu Religionis.

31. Beneficiarius non tenetur ad horas ante pacificam possessionem beneficii, nisi lite pendente habeat titulum, & administrationem ejus, cum spe sibi fore fructus applicandos, saltem suo servitio correspondentes, vel aliquod emolumentum ex functionibus, aut obsequiis percipiat. Verum si nihil percipiens, nec recitans, deum vincat, potest percipere fructus, qui correspondent tempori litis, quia absque culpa recitare omisit, ideoque spoliari non debet.

32. Nomine beneficii intelligitur quælibet Præbenda, Cardinalatus, Episcopatus, Rectoria, aut cappellania collativa, habens tres condiciones ad beneficium ecclesiasticum requisitas: nempè, quod sit erecta autoritate Episcopi, quod sit constituta in perpetuum inter bona ecclesiastica, & quod ab Episcopo conferatur. Cum his conditionibus est collativa, quamquam instituitur ex bonis laicis, vel a laicis presentetur, vel sit manualis, vel ad nutum amovibilis; aut titulo ejus nequeat ordinari. Cappellania vero non collativa, licet ab Episcopo conferatur, non inducit onus recitandi, quia beneficium ecclesiasticum non est.

33. Inq. 2. An habens beneficium ecclesiasticum tenue, vel exiguum teneatur ad officium divinum recitandum? R. affirm. Tum quia jura, quæ hanc obligationem imponunt, non distinguunt de beneficio tenui, aut pingui. Tum quia accep-

tans voluntarie beneficium, acceptat onus illi annexum, & scienti, & volenti nulla fit injuria. Tum quia onus recitandi abunde compensatur privilegiis, honoribus, & exemptionibus, quibus beneficiarius potitur. Habens titulum nudum absque dominio utili, non tenetur ad horas; si autem sua culpa fructus non percipiat, vel quia est censuratus, vel juste a Judice eis privatus, tenetur ad recitandum. Idem est, si illos nunc non percipiat, verum sperat postea percipere, vel si in Ecclesia sit statutum, aut consuetudo non percipiendi primo anno. Idem de eo, qui administrando beneficium, omnes fructus alteri cederet, quia est vere beneficiarius, & voluntarie cedit utilitati. Dubius de tenuitate beneficii ab officii divini obligatione non excusatur.

34. Inq. 3. An habentes præstimoniam collata in titulum perpetuum beneficii teneantur ad persolvendas horas canonicas? R. affirm. Quia sunt beneficium ecclesiasticum: nisi dentur solummodo ad tempus, ut pro tempore studiorum; quo pacto non sunt perpetua, nec propriè beneficia ecclesiastica. Commendatarius, habens commendam integram cum administratione, esto non sit erecta in perpetuum, nec in beneficium, tenetur ad recitandum divinum officium ratione integræ administrationis. Si vero ipsi commendetur, quoad sola servitia exteriora Ecclesiæ pro aliquo tempore; alio retinente titulum, ut mere stipendiarius reputatur, ideoque ad horas canonicas non adstringitur.

35. Inq. 4. An pensionarii ad officium divinum teneantur? Resp. Quod si pensio sit mere laicalis, quæ non confertur clerico, ut tali, sed in compensationem alicujus obsequii, Ecclesiæ præstiti ab ipso, vel ab ejus parentibus, vel ob laborem docendi pueros, pulsandi cimbala, vel organa, aut quid simile, ad nullam recitationem obligat. Si autem pensio sit clericalis, quæ tantum confertur clerico, ut quæ datur in subsidium personæ ecclesiasticæ, vel beneficium resignanti, aut liti cedenti, & similes, saltem tonsuram in recipiente postulans, solum obligant ad officium parvum B. Virginis eos, qui alias divinum officium non recitant: si enim hoc ex alio titulo persolvunt, ad amplius recitandum non tenentur. Coadjutores canonicorum, seu

seu beneficiorum ex vi coadjutorie ad divinum pensum non adstringuntur: quia proprietarii sunt ad illud obligati: obligatio autem eadem, sicut idem beneficium in duobus existere nequit.

PUNCTUM V.

De circumstantiis in privata recitatione observandis.

36. Inq. 1. Quot, & quæ circumstantiæ debeant observari in recitatione privata? R. Debent observari quatuor, nempe *ordo, tempus, locus, & modus*. Eadem enim in privata, ac in publica recitatione circumstantiæ observandæ sunt, licet non adeo strictè. Primo observandus est ordo, ut nimirum prius recitetur matutinum cum laudibus, & deinde suo ordine reliquæ horæ. Invertitur hunc ordinem, ita ut una hora posterior recitetur ante priorem, ut prima ante matutinum, aut vespere ante primam, si fiat ex causa, nulla culpa est, si vero absque causa fieret, secluso contemptu, venialem non excederet. Similiter celebrare Missam antequam matutinum privatim recitetur, non est grave peccatum, quia non est major connexio inter matutinum, & Missam, quam inter matutinum, & reliquas horas; sed istæ sine gravi culpa possunt privatim recitari ante matutinum: ergo etiam Missa ante illud. Nec aliter accipitur, aut intelligitur communiter rubrica Missalis. Pariter hujusmodi inversio, facta in eadem hora, secluso scandalo, aut contemptu, venialem culpam tantum constituit, ut qui diceret secundum psalmum ante primum, nisi hoc fiat ex consuetudine, ut ajunt aliqui, sed vix accidere ita potest, nisi in aliquo amente: unde vix talis inversio erit culpa gravis.

37. Inq. 2. An recitans ex inadvertentia, aut errore unum officium pro alio, teneatur proprium illius diei repetere? Resp. negative: Nam qui bona fide unum pro altero officium recitat, licet materialiter non servet ritum præscriptum; formaliter tamen observat illud. Nihilominus si officium recitatum multo brevius esset altero, quod tali die deberet recitari; teneretur sic recitans ad aliquam compensationem addendo aliquos psalmos. Si

persoluto matutino, recordetur quis se errasse, juxta aliquos poterit prosequi idem officium, vel reliquum proprium illius diei: verum hoc ultimum congruentius est. Similiter, qui hodie ex errore celebrat officium de aliquo festo, de quo recitandum est die sequenti, debet se conformare ordini præscripto ab Ecclesia, sequentique die repetere idem officium, ne bis erret in recitando. Festum autem, vel Sanctus illius diei omittitur illo anno eodem modo, ac si omitteretur propter infirmitatem, aut omnimodam oblivionem; nisi Sancti sint ex translatis; tunc enim, qui private recitat, potest supplere cras, quod hodie omisit.

38. Inq. 3. Quo tempore incipiat, & finiatur præceptum persolvendi divinum officium? R. Incipere a puncto mediæ noctis diei antecedentis, & finiri in puncto mediæ noctis subsequentis. Intra hoc tempus recitari debet integre officium divinum, excepto matutino cum laudibus, quod ex consuetudine vespere præcedenti recitari valet. Igitur hora necessario observanda in partitione pensus divini juxta præscriptum Ecclesiæ solum obligat graviter in recitatione publica; in privata vero ejus inversio etiam absque causa non excedit culpam venialem, cum causa excusatur ab omni culpa. Unde possunt absque gravi culpa dici omnes horæ primo mane, etiam vespere, & completorium, vel omnes circa noctem, aut etiam prima nocte dummodo finiantur ante mediam noctem. Incipere officium hodiernum paulo ante mediam noctem, ita ut non possit finiri totum ante illam, grave peccatum est: imo ob periculum, cui se exponunt adeo pigri, & desides non persolvendi divinum pensum tempore debito, prudenter judicatur negligentia enormis. Sola commoditas propria, aut gustus cujusque privati non est sufficiens causa ad recitandum extra tempus præscriptum; sed debet dari aliquod motivum rationabile, ut studium, solatium alterius, impedimentum futurum, aut quid simile.

39. Matutinum cum laudibus pro die sequenti valet privatim recitari omni tempore post horam tertiam vespertinam diei antecedentis, persolutis vespere, & completorio juxta doctrinam D. Thom. *quodlib. 5. q. 13. art. 28. ad 1.* Sed ut

exac-

exactius observetur hora illud persolvendi, apponimus ob oculos sequentem tabellam promulgatam a sapientissimo Lambertino, postea Benedicti. XIV.

Notando nequaquam esse præceptivam, sed directivam. Nam juxta commune Doctorum placitum, & receptam consuetudinem valet matutinum cum laudibus privatim recitari post vespere, & completorium diei præcedentis sine ulla culpa, hoc est, transactis plus, minusve tribus horis post meridiem, ut diximus cum Angelico præceptore.

Tabella assignans horam, in qua vespere præcedenti potest recitari matutinum cum laudibus pro die sequenti.

	Hora Quad.	
In Januario 1. usq. ad 12.	2	1.
Januario 13. usq. ad 18. Febr. 2	2	2.
Februario 19. usq. ad 5. Mar. 2	3	3.
Martio 6. usq. ad 26.	3	0.
Martio 27. usq. ad 20. April. 3	1.	1.
April. 21. usq. ad 15. Maii 3	2.	2.
Majo 16. usq. ad 31. Julii 3	3.	3.
Augusto 1. usq. ad 25.	3	2.
Augusto 26. usq. ad 15. Sept. 3	1.	1.
Septembri 16. usq. ad 20. Octob. 3	0.	0.
Octobri 21. usq. ad 31.	2	3.
Novembri 1. usq. ad 30.	2	2.
Decembri 1. usq. ad 31.	2	1.

40. Interruptio facta in officio absque causa semper est culpa venialis, quia saltem est quædam irreverentia divinæ Majestatis, cum causa vero potest fieri absque ulla culpa, ut si occurrat obedientia superioris, aut honesta ratio urbanitatis, vel alia circumstantia pro tunc necessaria utilitati spirituali, aut corporali propria, vel proximi. Matutinum a laudibus absque ulla causa separari valet, quia antiquitus ita fiebat. Sed tunc finito *Te Deum* debet dici oratio diei, ut fit in nocte Nativitatis Domini, & etiam oratio Dominica, seu *Pater noster*. An vero debeat dici *Pater noster*, & *Ave Maria*, tunc in principio laudum, quidam affirmant; negat tamen cum aliis Gavantus esse necesse. *Señt. 4. cap. 2. num. 4.* Unum nocturnum separare ab alio non est illicitum, dummodo non sit nimis proluxa separatio, ut si vespere antecedenti recites unum

Tom. II.

nocturnum, & die sequenti alterum, reputatur nimis proluxa separatio. In reliquis horis interruptio ejusdem horæ adeo proluxa, ut moraliter ea discontinuari videatur, destruit unitatem moralem totius horæ; quæ proinde a principio repetenda est, quia quælibet hora est unum totum morale, cui directe opponitur interruptio, seu discontinuatio moralis.

41. Si autem cupias scire, quando dabitur, vel non, interruptio moralis? R. Hoc arbitrio prudentum esse metiendum. Quoniam interruptio inter unum, & alium psalmum, vel inter psalmos, & lectiones, antiphonas, seu capitula longiore moram admittit, quam inter versus ejusdem psalmi, quia inter hujusmodi versus major adest connexio, quam inter psalmos, & lectiones, antiphonas, seu capitula, ut ex se patet; unde ex modo, causa, & circumstantiis interruptionis deducendum est, an sit gravis, vel levis. Ita ut, si gravis evadat, repeti debeat integra hora; si autem non pertingat ad notabilem, ut interruptio per spatium unius horæ plus minusve inter unum, & alium psalmum animo continuandi facta, non censetur gravis, potestque continuari, & finiri. Certum etiam est, quod si interruptio accidat prope initium horæ canonicæ, minor interruptio obligat ad repetendum, quam si contingat circa finem, quia facilior est repetitio in primo casu, quam in secundo, & quo facilior possunt, eo præstantius præcepta adimplenda sunt.

42. Inquires 3. Quo loco horæ canonicæ recitari debeant? R. Quod private recitationi nullus est prefixus locus, sed ubique laudes Dei persolvi valent juxta illud psalmi 102. *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino*. Unde causa cogente, etiam in locis immundis possunt absque ulla culpa persolvi; subleata vero necessitate, decentia loci, quam ratio postulat, servanda est. Recitans in lecto recubans absque causa, peccatum veniale committit. Eiusdem culpæ reus est, qui ex professo adit locum confabulationibus, & distractionibus obnoxium. Quare ad divinum officium persolvendum quærendus est locus aptus devotioni, & silentio, ut possit Deus orari in spiritu, & veritate.

43. Omnes horis canonicis astriciti tenentur

neantur illas integre persolvere, ita ut omisio voluntaria partis notabilis sit lethale peccatum restitutionis obnoxium. Pars notabilis est quælibet hora canonica, etiam vesperæ Sabbati Sancti, unum nocturnum in matutinis, seu tres lectiones cum responsoriis, & etiam duo psalmi cujusque horæ minoris, quia licet respectu totius officii sint materia levis, respectu vero cujuslibet horæ reputatur gravis. Similiter omittens in pluribus horis unum psalmum, vel quid leve, peccat graviter, quia omissiones hujusmodi, licet respectu cujusque horæ sint leves; tamen unitæ in ratione integri officii eam gravem constituunt, & ad restitutionem pro rata læsionis gravis obligant. Eadem ratione recitantes ita celeriter, aut præcipitanter, ut ex pluribus syncopis, seu mutilationibus notabilem versuum, aut verborum quantitatem deglutiant, obligationi non satisfaciunt, nisi id ex defectu balbæ linguæ proveniat. Qui recitaret lingua græca, hebræa, aut vernacula, peccaret graviter contra decret. Pii V.

44. Recitans cum socio debet dicere alternatim versus psalmodum; capitula autem, responsoria, antiphonas, & lectiones sufficit, quod attente ab alio audiat. Ambo tamen tenentur clara, & distincta voce singillatim pronuntiare, quæ recitant, & non festinanter, ita ut unus incipiat, priusquam alter terminet suam partem, quo in casu ambo violant præceptum in re gravi, quia pluribus truncationibus omittunt, aut sorbent partem notabilem. Pariter solus recitans debet tali voce recitare, ut saltem seipsum secluso strepitu, aut surditate, audire possit; alias vix formaret vocem sufficientem ad orationem vocalem, quæ ad officium divinum persolvendum exigitur, & præcipitur. Recitans privatim horas canonicas, simulque audiens sacrum ex præcepto, licet utrique satisfaciatur, quia non sunt actiones incompatibiles, ideoque valet simul attendi ad utrumque præceptum, & consequenter adimpleri; tamen vix a culpa veniali excusatur, nisi ex rationabili causa id efficiatur.

45. Inq. 4. Quot peccata committit voluntarie omittens omnes horas canonicas unius diei? R. Unum æquivalens septem lethaliibus; quia non sunt septem præ-

cepta, sed unum de recitando officium divinum. Verum omittens debet confiteri, quot horas omiserit, sicut furans eodem actu plures oves ab uno; utrobique enim est unum peccatum cum circumstantia aggravante facile nota, ideoque necessario confitenda.

PUNCTUM VI.

Alia dubia circa recitationem divini officii.

46. Inq. 1. An liceat recitare matutinum defunctorum die ipso sanctorum omnium post vesperas? R. Quod esto Concina adsolute neget, improbas consuetudinem in oppositum, tamen sententia affirmativa vera est. Constat ex decreto sacre congregationis die 4. Nov. 1746. citato a Cavallieri tom. 3. cap. 2. Dicente: *Privata officii defunctorum recitatio pro generali illorum commemoratione absolvi licite potest post vespertinas horas festi omnium sanctorum; in choro autem juxta rubricas adimplenda est mane die secunda Novembris, nisi ut populi commodius, & frequentius illis interesse possint, contra jam faceret consuetudo.* Ex quibus verbis liquet primo, quod licet recitari matutinum defunctorum post vesperas, & officia omnium sanctorum. Secundo constat posse etiam in choro, seu publice persolvi eodem vesperæ, ubi adest consuetudo, quæ quidem rationi congruit, ut ita die sequenti Sacerdotes sint expediti ad Missam solemnem, officium, responsoriaque defunctorum celebranda.

47. Inq. 2. An Tertiarii ordinem recitare valeant de sanctis cujusque ordinis respective? R. affirm. Constat ex decreto sequenti edito die 4. Septemb. 1745. *An clerici seculares choro non adstricti possint recitare de sanctis Ordinis Carmelitani, si sint ejusdem ordinis Tertiarii? R. affirm.* Idem habetur ex alio decreto sacre congregationis 7. August. 1694. in quo conceditur Tertiariis S. Francisci posse uti breviario ordinis Minorum, & illius Calendario conformari. Hoc autem privilegio solum potiuntur veri, & proprii Tertiarii, ad quod non sufficit esse confratres ordinis, nec induere scapulare Carmelitarum, nec portare, aut se præcin-

gere

gere corda S. Francisci, vel corrigia S. Augustini. Quamvis autem plures, & novissimi, etiam P. Ferraris teneant confessorios, & capellanos monialium posse recitare eadem officia, ac ipsas moniales, non videtur certum, ut satis testatur praxis inconcussa, quam observant capellani, & confessarii romani; qua corrigit dictum Ferrarium Theologus romanus.

48. Inq. 3. An qui somno vexatus, sæpiusque dormitans, simul tamen ita resistit, ut curet omnia proferre, satisfaciatur præcepto? R. Quod si certo in aliqua parte officii dormivit, tenetur dicere, quæ omisit. Si vero omnia protulit, esto cum aliqua difficultate, sibi vim faciendo, non tenetur ad repetendum; maxime in choro, ubi sicut prædiximus, communis oratio supplet leves defectus, qui involuntarie, vel saltem non omnino voluntarie, ut plurimum accidunt. Verum qui somno obnoxius reservaret absque causa divinum officium recitandum in lecto cum prævisione somno succumbendi, dubio procul graviter peccaret propter periculum, cui se commisit.

49. Inq. 4. An recitans in peccato mortali, vel excommunicatus adimpleat præceptum? R. affirm. Quia omnis, qui recitat cum debita attentione, ponit rem præceptam, quod sufficit ad satisfaciendum præcepto. Beneficiarius autem recitans excommunicatus, non facit fructus suos, seclusa consuetudine, cui standum est, ubi legitime introducta fuerit, prout in Hispania esse testantur plures. Seclusa vero consuetudine, debet excommunicatus restituere ante sententiam Judicis fructus, quandiu non absolvitur, perceptos, esto in gratia constituatur.

50. Inq. 5. An qui, dum recitat, meditat gesta Sanctorum, satisfaciatur præcepto? R. Quod præsertim moniales optime satisfaciunt meditando mysteria Christi Domini, aut aliqua gesta Sanctorum, de quibus recitatur; nam cum non calleant, quæ pronuntiant, mentem hæc cogitatione in Deum elevant. Imo respectu omnium perfectior attentio est in Deum. Similiter dulcem memoriam Christi Domini, & Beatissimæ Virg. omnibus devotionem infundere non ambigitur. Dubitatur vero de gestis peculiaribus Sanctorum.

51. Igitur sub distinctione respondendum est. Nam cum officium est de Sanctis, optima attentio est meditari ipsa gesta, quæ de illis exponuntur. Verum quando officium est omnino inconnexum, recitans attendere debet ad ea, quæ pronuntiat, vel saltem ne erret in verbis, & alio tempore meditari deliberate gesta Sanctorum. Hoc magis consonat rationi, & veræ devotioni, qua recitare debemus. Hoc etiam commendat illud prudens axioma: *Age, quod agis.*

52. Inq. 6. An satisfaciatur præcepto, qui recitans, se induit, aut aliquos labores manuales perficit? R. Quod exercens aliqua opera adeo facilia, ut præter assuetudinem habituales vix aliam attentionem requirant, satisfacere potest præcepto recitandi. Qua ratione ipsa Ecclesia præscribit Sacerdotibus quasdam orationes dicendas, dum se lavant, & induunt. Sed quid dicendum de agricolis, & aliis devotis personis, qui dum laborant in agro, aut alia opera manualia exercent, suas fundunt voluntarias præces? Quidam Neotericus ait, quod *aqua hæret*, & dubius manet. Nonnumquam ribulo submergitur, inquit maria flagellare præsumpsit.

53. Resp. Laudandam, promovendamque esse dictam consuetudinem. Apud nos, dum omnes congregamur ad fricandum, quasdam commemorationes, & preces semper recitamus: Juniores nostri eandem ipsam consuetudinem invariabiliter observant, quoties ad similia peragenda sive bini, sive in communi conveniunt; quinimo Concina asserit suos fratres se induentes teneri ex constitutione recitare officium Beatæ Virg. Tam pervium autem est agricolis manibus laborare, quam Dominicanis se induere. Quamvis, ut verum fatear, constitutiones illius incliti ordinis non præscribunt, quod fratres officium B. V. recitent se induendo, sed stando.

54. Quidquid tamen sit de hoc, omnibus, & præsertim sanctimonialibus, absque hæsitacione suadendum est, ut, dum manibus laborant, aliquas preces, & laudes Deo devote persolvant. Nec hinc infertur laudandos esse clericos recitantes divinum officium, dum se induunt, aut exuunt, vel manibus laborant, quia aliud est preces, & laudes voluntarias fundere: aliud pensum divinum Deo solvere. Hoc

postulat locum aptum, & tempus congruum: illud omni tempore, & loco Deo offertur. Primum indicat devotionem, secundum pigritiam demonstrat.

55. Inq. 6. An qui probabiliter iudicat se recitasse, teneatur ad iterum recitandum? Resp. Quod si vere dubius est de recitatione, ad eam proculdubio tenetur: quia per solutionem dubiam obligatio certa non extinguitur. Ab hac regula excipiuntur scrupulis agitati. Isti enim suo debent Directori obedire, & credere eorum dubium nullatenus esse dubium, sed timorem, aut scrupulum, quem despiciere tenentur. Si autem non obediunt, jubeantur recitare flexis genibus, & erit medicina, forsitan efficacior sui languoris. Similiter quilibet timorata conscientia, habens conjecturam probabilem se recitasse, ut si recordetur sumpsisse breviarium, incepisse, aut tali hora regulariter solere recitare, liber est ab obligatione. Imo debet non repetere, ne habitum, & consuetudinem, vanos scrupulos concipiendi sibi aquirat. Non semel contingit, quod repetens, quia male recitavit, pejus secundo, & tertio repetat. Igitur sume hic consilium sapientis Eccles. 7. *Ne iteres verbum in oratione tua.*

PUNCTUM VII.

De restitutione faciendâ propter divini officii omissionem.

56. Inq. 1. An Canonicus, seu Beneficiarius non recitans teneatur ad fructuum restitutionem? Resp. affirm. Constat ex Concilio Later. Sess. 9. & ex constitutione Pii V. ubi decernitur restitutio fructuum faciendâ a beneficiario culpabiliter non recitante, post sex menses a possessione beneficii. Ita ut omittens omnes horas canonicas restituere debeat omnes fructus illi, vel illis diebus respondentibus: qui matutinum tantum omisit, dimidiam eorum partem: qui cæteras horas, aliam dimidiam: qui horam singulam, sextam eorum partem amittit. Similiter pensionarius clericus omittens officium B. Virginis tenetur restituere omnem pensionem diei, vel diebus omissionis respondentem. Verum pro omissione inculpabili, vel ob alias causas postea recensendas, aut etiam

culpabili, primis sex mensibus nullam restitutionem deberi communis sententia tenet.

57. Inq. 2. An dicta restitutio sit faciendâ a Beneficiario ante omnem sententiam iudicis? Resp. affirm. Tum quia omittens recitare, non facit fructus suos; ergo ante omnem sententiam illos amittit. Tum quia constat ex prop. 20. damnata ab Alex. VII. *Restitutio a Pio V. imposita beneficiariis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam iudicis: eo quod sit pena.* Unde pro quocumque die omittitur recitatio, seclusa alia sententia, faciendâ est restitutio. Imo pro omissione cujuscumque partis notabilis debet fieri pro rata. Verum si omittitur pars tantum levis, non obligat restitutio sub levi: quia solum pro omittente horam pœna restituendi imposita est, quod etiam pro qualibet parte notabili communiter intelligitur. Cæterum si ex pluribus levitatibus conficitur omisso certo gravis, verius est, & consequentius dictis restitutionem pro rata debere fieri. Alias in unaquaque hora unum psalmum omittens, nihil teneatur restituere, quod non est admittendum. Recitans omnino voluntarie distractus, non adimplet præceptum, proindeque ad restitutionem tenetur.

58. Inq. 3. An Episcopus, Parochus, seu beneficiarius habens alia ministeria beneficio annexa, teneatur, si non recitat, integre restituere omnes fructus, vel solum recitationi respondentibus? R. Quod stando dispositioni pontificiæ ad restitutionem omnium tenetur: quia Pontifex non distinguit inter Parochos, & beneficiarios simplices. Stando autem juri naturali solum tenetur restituere, quod omissioni recitationis respondet, non quod sibi debetur pro aliis oneribus, supposito quod illis satisfaciatur. Ita esse receptam, & explicationem communi sensu, & usu laudatam constitutionem testantur graves Auctores; & hanc explicationem, & praxim conformiorem esse dicunt juri naturali, & rationi, quæ suadet non esse æquandum in pœna restitutionis Episcopum, aut Parochum, qui alia munia subit, cum simplici cappellano, qui tantum oneri recitandi subest.

59. Unde juxta hanc sententiam satis pro-

probabilem beneficiarii curati, & Episcopi solum tenetur ad quintam partem restituendam, canonicis, qui residere, & choro interesse tenentur, ad quartam partem, beneficiarii alia munia subeuntes ad tertiam, cæteri, quibus nihil præter horarum pensum incumbit, omnes fructus restituere debent. Verum in omni opinione habentes alia beneficia, omnes fructus ex eis sibi respondententes restituere tenentur: quia respectu illorum sunt Beneficarii omnino simplices absque alio onere præter divinum pensum, cui non satisfaciendo, omnes fructus aliorum beneficiorum proculdubio amittunt.

60. Inq. 4. An recitans in die Palmarum officium resurrectionis, teneatur ad fructuum restitutionem? R. affirm. Quia officio Paschæ non satisfacti obligationi pro die Palmarum, ut patet ex prop. 34. damnata ab Alexandro VII. *In die Palmarum recitans officium paschale, satisfacti præcepto.* Idem dicimus de quolibet ex professo transmutante unum officium longius in aliud brevius, vel etiam inæquale; aut novem lectionum: quia revera præceptum recitandi non est in genere, sed de recitando secundum formam præscriptam a Pio V. qua voluntarie, & sine causa permutata, non fit satis præcepto, & committitur gravis culpa; consequenterque incurritur pœna restitutionis; si autem ex inadvertentia, aut ex errore, vel ex justa causa cogente unum officium pro alio dicatur, sicut abest culpa, ita etiam restitutionis pœna.

61. Inq. 5. Cui debeat restituere beneficiarius, seu canonicus recitare omittens? R. Quod vel fabricæ Ecclesiæ, in qua situm est beneficium, vel pauperibus quibuscumque: quia licet congruentius fiat pauperibus ejusdem loci, ubi beneficium situm est; tamen cum Bulla non distinguat, quibuslibet fieri potest. Si autem ipse beneficiarius pauper sit, & non omisit recitare ex confidentia sibi, vel suis fructus applicandi, potest ex consilio Confessarii, vel viri docti sibi applicare partem necessariam pro presentanea necessitate sublevandâ; applicatio quippe fructuum non est faciendâ uni soli, sed pluribus pauperibus, præsertim si fructus uberes, aut pingues sint. Potest etiam applicare consanguineis, si vere indigeant, non quidem ad

ponnam, aut luxum fovendum, sed ad veram inopiam sublevandam. Similiter valent juxta plures fructus hujusmodi applicari in suffragia defunctorum; securius tamen, & confirmius ad mentem Pontificis ageret, qui illos impertiret pauperibus ea conditione, ut pro suffragandis animabus Missas audiant, & preces fundant. Si fructus restituendi jam statuto, aut consuetudine alicujus Ecclesiæ sint applicati certo pio operi, seu personæ particulari, nulli alteri possunt impertiri.

62. Inq. 6. An restitutio suppleri possit per elemosynas a beneficiario factas ante omissionem recitationis? R. neg. Tum quia sunt factæ liberaliter, aut ex caritate, restitutio debetur ex justitia, vel saltem ex præcepto. Tum quia constat ex propos. 33. damnata ab Alexandro VII. *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque elemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus suis beneficii fecerit.*

63. Non comprehenditur in hac propositione sententia asserens restitutionem debitam ob horarum omissionem suppleri posse per elemosynas factas post ipsam omissionem; sed eam non admittimus, nisi illæ factæ sint animo prius satisfaciendi omni obligationi, cui forte quæ adstringatur, quia illæ elemosynæ supponuntur factæ ex mera caritate, liberalitate, aut alio motivo pio omnino distincto a restitutione, quæ præcipitur a Pontifice. Nec similiter admittimus posse beneficiarium supplere onus restitutionis, recitando aliis diebus duplex, aut triplex officium pro compensatione omissorum; quia Ecclesia præcipit restitutionem fructuum, non duplicare officia, nec fundere preces pro defunctis, aut similia, quæ ab Authoribus, plus quâdam pietate naturali, quam solida ratione innixis proferuntur.

64. Per Bullam autem compositionis potest Beneficiarius supplere restitutionem fructuum juxta dicta in tractatu de Bulla cruciata, supposita triplici conditione. *Prima*: quod horas non omiserit ex confidentia, seu fiducia ipsius bullæ, seu compositionis. *Secunda*: quod solvat fabricæ Ecclesiæ tot drachmas, quot ipsi cruciatae: ut si duas drachmas tribuat pro elemosyna Bullæ, totidem tradat fabricæ. *Tertia*: quod compositio nullatenus fiat, quan-

quando fructus sunt jam applicati, vel assignati alicui pio operi, aut certis personis: nam tunc casus nulli alteri queunt applicari, ut supra diximus. Advertant omnes clerici & monachi recitare esse suum proprium principaleque munus: esse officium *divinum*, quo persolvendo Angelos imitantur. Sint ergo pares in devotione, qui sunt æquales in felici ad tantum ministerium electione.

PUNCTUM VIII.

De causis excusantibus ab officii divini recitatione.

65. Inq. 1. Quot, & quæ sint causæ ab horarum recitatione excusantes? R. Quod communitur recensentur quatuor. Nempè *infirmitas, occupatio, impotentia, & legitima dispensatio*. Omnes reducuntur ad impotentiam, & dispensationem, sed claritatis gratia aliæ duæ seorsim exponuntur. Excusatus legitime ob aliquam ex dictis causis ad nihil tenetur. Quia recitatio est obligatio personalis, quæ inculpabiliter ommissa, ad aliud subrogandum non adstringit. Unde si heri oblivione invincibili totum officium, vel ejus partem omisisti, hodie ad nihil teneris: nec si recitare per teipsum impotens es propter impedimentum lingue, aut oculorum, ad audiendum alium obligaris; quia præceptum non est audiendi, sed recitandi.

66. Inquires 2. Quæ infirmitas excuset a recitatione? R. Quod infirmitas gravis absolute excusatur ab omni præcepto humano affirmativo personali, uti est recitatio officii divini. Illa autem infirmitas gravis censetur, quæ vel notorie est talis, vel cum illa absque magno incommodonequit infirmus recitare. Latentio enim Ecclesiæ non est obligandi cum salutis dispendio, aut periculo. Imo non solum eximit ab hac obligatione infirmitas gravis, quandiu ipsa durat; sed etiam dum ab ea infirmus convalescit, aut vires restaurat per aliquos dies arbitrio prudentum, licet in eis valeat celebrare, aut audire Missam, aut etiam legere in aliquo libro ad se recreandum vel confabulari cum amicis; quia hæc allevant morbum, & non afferunt molestiam, quam ex sua natura recitationem seriam, & attentam, ejusque obligationem præ-

seferre, non est dubium, quidquid declamet quidam sine fundamento, non distinguens inter legere historias per notabilem diei partem, quod non admittitur in infirmo, & inter confabulari cum amicis; hoc enim valet mora longiori sine labore fieri, quam legere. Nec distinguit inter lectionem voluntariam, & jucundam per aliquod breve spatium, a recitatione laboriosa, quæ ex ipsa natura obligationis affert laborem, & molestiam: quæ ratione in ipsa infirmitate actuali non adest obligatio recitandi, esto infirmus valeat confabulari cum amicis.

67. Infirmas levis, ut aliquis dolor capitis, stomachi, aut similis, quæ morbus augeri notabiliter non timeatur, ab obligatione recitandi non excusatur. Circa laborantes febris tertiana distinguendum est, quia alii sunt aliis robustiores, ipsa etiam febris non æqualiter omnes affligit; proindeque arbitrio prudentis relinquenda est obligatio, & præcipue medici, si timoratus fuerit; aliqui enim inveniuntur adeo indulgentes circa præcepta ecclesiastica, ut parum eorum dictamini fidendum sit. Febris quartana absolute non excusatur, nisi cum illa jungatur notabilis subjecti imbecillitas. In casu dubii judicium Prælati, seu prudentis confessorii, aut medici timorati deservire debet per regula tuta, quam quisque observare valet.

68. Inquires 3. An occupatio excuset a recitatione? R. Quod raro potest occupatio excusare: quia principalis occupatio clerici, aut beneficiarii est recitatio divini officii. Quare merito damnata est propositio 21. ab Alexandro VII. *Habens cappellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet*. Unde nec ratione studiorum, aut publicæ lectionis, aut concionum, sive confessionum excusatur quis a recitatione, nisi in aliquo casu valde raro, quo occupatio non voluntaria, sed ex obedientia, aut caritate admissa incompossibilis sit cum recitatione.

69. Inq. 4. Quæ impotentia excuset a præcepto recitandi? R. Quod impotentia alia est intrinseca, ut cæcitas, ut caligo oculorum, alia extrinseca, ut defectus Breviarii. Cæcus tenetur recitare cum socio, dum commode illum habere valet, & etiam

etiam solus ea, quæ memoria retinet: quia non est dicendus impotens, qui memoriter, aut cum socio facilius habito recitare potest. Verum non est obligandus cæcus ad socium, pretio soluto, vel alio incommodo querendum. Nec ad divinum officium memoriter addiscendum, quia ad diligentiam extraordinariam Ecclesia non obligat. Igitur cæcus solum tenetur recitare ea, quæ memoriter scit, aut quando socium commode habere valet. Surdus recitare tenetur, non enim ex capite solus surditatis est impotens ad legendum.

70. Inquires 5. An potens recitare minorem partem officii, teneatur ad illam persolvendam, si impotens sit ad majorem? R. affirmative. Constat ex prop. 54. data ab Innocentio XI. *Qui non potest recitare matutinum, & laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia major pars attrahit ad se minorem*. Unde valens recitare quamlibet partem notabilem, ad eam tenetur; ut carens breviario, habens tamen Diurnum, debet recitare non solum horas minores, sed etiam laudes, & psalmos matutini currentis, si illos habeat sive de feria, sive de communi Sanctorum respective ad officium diei.

71. Qui inculpabiliter breviario caret, excusatur a recitatione juxta dicta, quia ad impossibile nemo tenetur. Discedens a domo de breviario nihil cogitans, seu credens illud reperendum in loco, ad quem tendit, non peccat in omissione, si bona fide processit. Carens breviario propria culpa, aut crassa negligentia, ut qui illud in mare projecit, peccat non solum in negligentia, aut projectione; sed etiam quamdiu perseveret in prava deliberatione non recitandi. Si autem vere poeniteat prioris culpæ, adhibendo possibilem diligentiam ad illud inveniendum, excusatur a recitatione propter impotentiam, proindeque non peccat in sequentibus omissionibus.

72. Inq. 6. An qui prævidet impedimentum superventurum, teneatur anticipare officium divinum? R. Quod si impedimentum sit voluntarium, apud omnes est anticipandum: quia præceptum obligans directe ad officium, obligat indirecte ad non ponendum, seu tollendum impedimentum voluntarium, vel saltem ad anticipandam, vel posponendam ejus adimplentionem: ut si vespere iter acturus es, te-

neris mane recitare, vel si primo mane illud voluntarie usque ad vesperam aggrediaris, teneris vespere, aut noctu recitare integrum officium. Probabilius idem est dicendum, licet impedimentum sit involuntarium, ut febris tertiana, aut quartana: quia obligatio est totius diei; ergo qui non potest vespere, debet mane adimplere, vel e contra. Igitur qui statutis horis nequit officium persolvere, debet illud antepone, vel posponere: nisi alias anticipatio, vel pospositio grave afferret incommodum, quo præcepta ecclesiastica regulariter non obligant. Hinc timor gravis jacturæ vitæ, fortunæ, aut honoris, ut degentibus inter hæreticos accidere valet, excusatur ab horarum recitatione.

PUNCTUM IX.

De dispensatione ab officio divino.

73. Inq. 1. Quis possit dispensare ab hoc præcepto? R. Quod respectu clerici simplicis, sive sæcularis, sive regularis potest Pontifex dispensare, quia respectu ejus obligatio recitandi est mere humana, aut ecclesiastica. Verum respectu beneficiarii dispensare non valet absque causa, aut aliqua commutatione; quia respectu hujus est obligatio naturalis, & ex justitia superior humana potestate. Usque ad annum decimum sextum ætatis beneficiarii, seu cappellani dispensatur commutando causa studii sacra Pœnitentiaria; exinde requiritur Breve apostolicum, quod per Secretariam Brevium obtinetur pro uno anno, nempe usque ad decimum septimum supplicantis, & deinde aliud pro alio anno usque ad ejusdem decimum octavum. Ulterius non conceditur ex stylo Curie, licet Papa ex causa etiam ad vitam oratoris illud concedere possit.

74. Unde a fortiori Episcopus non valet dispensare clericum a recitando, nisi ex causa rationabili, & ad tempus, quia in lege Superioris nequit inferior sine justa causa dispensare. Eadem ratione possunt quidem Prælati regulares suos subditos dispensare ab hac obligatione, sed solum occurrente justa causa infirmitatis, vel debilitatis. Verum, quod aliqui asserunt posse Prælatos regulares dispensare Religiosos choro deputatos in sacris non constitutos

tutos a recitatione eodem modo, ac ab aliis præceptis regulæ, & constitutionum, non bene percipiunt, nec est admittendum, quia consuetudo recitandi eandem vim habet, ac præceptum recitandi, erg. tantum poterunt dispensare in consuetudine eodem modo, & ex eisdem causis, ac in ipso præcepto.

75. Inq. 2. An regulares gaudeant privilegio recitandi horas canonicas solum mentaliter? R. neg. Quia viva vocis oraculum, quod fertur concessum a Leone X. est non parum dubium. Obligationi autem certæ non fit satis cum privilegio dubio, sed cum certa solutione. Unde minime possunt regulares uti dicto privilegio recitandi mentaliter ea, quæ in ordinario jubentur dici secreto sub silentio, tam in horis canonicis, quam in Missa. Nec unum, nec aliud vidimus usquam in ordine nostro ad praxim reduci: teneamus igitur certa, & relinquamus dubia.

76. De privilegiis, quibus gaudent tum sæculares, tum regulares recitandi semel, aut bis in mense de beata Virgine, de Patronis, aut aliis sanctis, etiam in adventu, & quadragesima, consulat unusquisque quinterna suæ Ecclesiæ, vel religionis. Nobis Carmelitæ concessit Clemens X. die 17. Jul. an. 1676. posse recitare de S. Maria Magd. de Pacis semel in mense, etiam in adventu, & quadrag. ita constat ex Bullario novo tom. 3. pag. 612. Denique Clemens XII. die 2. Jan. an. 1739. concessit, quod in universo ordine Carmelitarum possit recitari de S. Andrea Corsino bis in mense, exceptis tamen feriis quintis, & sabbatis ob officia SS. Sacram. & beatæ Mariæ Virginis, necnon ultima hebdomada adventus a die 17. Decemb. ac quadrag. a Dominica Palm. inclusive, ut videre licet in eodem Bullario tom. 4. pag. 282.

77. Aliud privilegium affertur ab authoribus concessum monialibus S. Claræ ab Innoc. IV. ut quæ occasione rationabili non possunt aliquando dicere legendæ horas suas, liceat eis sicut aliis sororibus dicere pater noster. Hoc indultum fuit clarissis concessum inter constitutiones proprias ipsarum, ut patet ex Bulla 33. eiusdem Pontificis cap. 3. Hoc privilegio valent confessori monialium attendere earum solatio, dum occasione infirmitatis, aut alterius causæ anguntur circa recitationem officii divini.

78. Notum est omnibus privilegium, quo Leo X. indulsit remissionem omnium defectuum, & calparum in recitatione officii divini ex fragilitate commissorum, tam sæcularibus, quam regularibus, qui, persoluto officio, devote recitaverint orationem Sacrosanctæ, & individualæ Trinitati &c. Aliud simile dicitur concessisse Gregor. XV. omnibus, qui in fine totius officii, vel in fine diei recitaverint Psalmum, Laudate Dominum omnes gentes. Hoc indultum est magis amplum, quia extenditur, non solum ad remittendas negligentias commissas in officio divino, sed etiam in Missa, & aliis piis operibus eod. die peractis.

79. Sed tria requiruntur pro utraque gratia lucranda. Primo, quod tales defectus sint veniales, ad lethales enim non sufficit illa oratio, etiam ex concessione Papæ. Secundo, quod sit in statu gratiæ, qui eam lucrari cupit, quia venialia peccata non remittuntur, manentibus mortalibus. Tertio, quod prædictæ orationes dicantur vel ex amore in Deum, vel ex dolore culpæ, ut obtineatur remissio per modum cuiusdam sacramentalis, quod venialia delet ex opere operantis medio actu amoris Dei, vel detestationis culpæ.

CAPUT II.

De obligatione choro interessendi ratione beneficii, & distributionum.

Postquam actum est in communi de omnibus, qui ad horarum recitationem tam publicam, quam privatam tenentur, superest disserere de quibusdam peculiaribus ad chorum adstrictis ratione beneficii, & distributionum, & de causis eos legitime excusantibus, quod in hoc capite breviter præstabitur.

PUNCTUM I.

Quomodo beneficiarii, & canonici choro adstringuntur.

80. Inq. 1. An canonici, & beneficiarii teneantur sub gravi choro interesse? R. affirm. Constat ex sæpius laudato cap. Dolentes, de celebratione Missarum, & ex Clement. 1. eodem tit., & ex aliis juris cano-

canonici textibus. Suadetur ratione: quia ad hunc finem Deum laudandi in choro, populumque excitandi ad devotionem, præbendæ, beneficiaque sunt instituta. Unde major est obligatio assistendi, quo pinguior est præbenda; contra rationem enim naturalem pugnat potiri majori stipendio pro minori servitio. Valde caute loquuntur authores circa absentiam a choro eorum, qui stipendio obstringuntur: ad summum per unum, aut alterum diem in anno abesse, ubi alias servitium chori diligenter observatur, excusant à gravi; alii nec tantum audent absolute concedere. Hoc clarius patebit ex sequenti dubio.

81. Inq. 2. An canonici, & beneficiarii teneantur per se ipsos clara voce recitare, & canere divinum pensum in choro? R. affirm. Tum quia alias obligationi choralis minime satisfaciunt. Tum quia circa canonicos ita nominatim declaravit Bened. XIV. in quadam constitutione, quæcumque consuetudinem oppositam reprobante, cuius initium est Præclara decora, expedita anno 1748. Ubi decernit: Canonicos choro quidem interessentes, assistentesque, minime vero canentes, psallentesve, nullo pacto ex præbendis, & distributionibus facere fructus suos: atque restitutioni obnoxios esse, & fore.

82. Ex quibus verbis decisa manet questio olim pro utraque parte de cantu canonicorum satis, superque propugnata: & insuper liquet gravissima obligatio canonicorum assistendi ad chorum, nam si non efficiunt fructus suos, qui canere per se ipsos omittunt, minus utique illos suos efficiunt, qui a choro absque legitima causa absunt.

83. Inq. 3. Sub qua poena jure communi imposita teneantur canonici choro assistere? R. duplicem poenam in jure non interessentibus assignari. Prima privatio distributionum pro rata absentiae, ita ut, si illas recipiant, restituere teneantur ante omnem sententiam Judicis. Ita statuit Bonif. VIII. cap. unico, de clericis non residentibus in 6. & Trid. sess. 24. cap. 12. Secunda ex eodem Trident. quod præbendati, ultra tempus ab ipso permissum, absentes a choro, pro primo anno, primaque vice privandi sunt dimidia parte fructuum beneficii; si in negligentia persistant, omnibus fructibus: si denique con-

Tom. II.

tumaces fuerint, ipso etiam beneficio per sententiam Judicis spoliandi sunt. Distributiones dicuntur proventus quotidiani lucrati ob chori assistentiam. Fructus appellantur redditus annuales a beneficio procedentes.

84. Inq. 4. Quibus accrescant distributiones amissæ ob absentiam a choro? R. Accrescere interessentibus: quia sicut plus isti choro serviunt, æquum est, ut plus stipendii accipiant. Quia ratione nec possunt impertiri pauperibus, nec componi per Bullam. Distributiones vero amissæ ob aliam causam præter absentiam a choro, fabricæ, vel pauperibus applicandæ sunt. Distributiones, quæ presentibus applicantur, non lucrantur absentes etiam ex legitima causa, nisi adsit consuetudo in contrarium, quia sufficit istos potiri privilegio acquirendi eas, quæ propriæ presentibus debentur. Si vero culpabiliter omnes canonici absentes, Ecclesiæ applicandæ forent; si autem inculpabiliter, vel quia Ecclesiæ diruta est, vel ob injustum interdictum, vel aliud impedimentum absunt, ipsis sunt applicandæ; absque culpa enim nemo debet poenam subire. Verum tempore cessationis a divinis, quo officia canonici celebrare nequeunt, distributiones amittunt. Ex cap. Si canonici §§. Scituri.

85. Inq. 5. An presentes, absentium distributiones lucrantes, possint eas remittere, donare, aut super eas transigere cum absentibus? R. Concilium prohibere quamvis remissionem, & collusionem. Explicatione terminorum res clarior fiet. Remissio dicitur eorum bonorum, quæ alicui debentur. Collusio est mutua debitorum condonatio. Donatio illorum est, quæ quis possidet cum eorum dominio. Transactio est compositio super debito dubio, aut incerto. Probabilis est omnem remissionem, & collusionem, sive expressam, sive tacitam a presentibus factam absentibus, ne dum illicitam, sed etiam invalidam esse, quia concilium excludens absentes a distributionibus, eos illis omnino privare intendit. Donatio autem proprie talis non est invalida, quia quilibet potest dare, cui voluerit, ea, quorum possessione, & domino gaudet. Nec hoc prohibetur a Concilio. Similiter transactio super distributionibus incertas, licita, & valida est, imò utilis ad pacem fovendam.

Et

86. Inq. 6.

86. Inq. 6. An canonici habeant privilegium, ut aliquo tempore abesse a choro licite possint? R. affirm. Constat ex Trident. loco supra cit. ubi præbendis concedit privilegium, ut valeant tribus mensibus singulis annis causa recreationis abesse. Hoc intelligitur de illis, qui toto anno reliquo tempore choro assistunt; si enim in dimidio anni assistere incipiant, solum valent dimidio privilegii pro rata assistentia gaudere. Ad utendum hoc privilegio non requiritur alia causa, nec Ordinarii licentia: conceditur enim pro levamine a chori frequentia. Poterunt illo frui, vel simul, vel divisim: hoc est nonaginta diebus, sive continuis, sive disjunctis. Tempore vacationum percipiunt fructus, secus distributiones; istas quippe solum lucratur canonici in absentia propter triplicem causam infra exponendam. Ex consuetudine legitima excusantur a chori interessentia, quin amittant distributiones illi, qui post quadraginta annorum non interrupto spatio Ecclesie inservierunt: imo libertatem etiam nanciscuntur a vinculo residentie, ut videtur apud Bened. XIV. in syn. Dioces. lib. 3. cap. 4. nu. 6. Duo canonici Episcopo servientes, fructus præbendæ lucrantur, licet choro non intersint. Ex cap. Ad adientiam 15. de Cler. non resid.

PUNCTUM II.

De causis excusantibus canonicos a choro, & a distributionum amissione.

87. Inq. 1. Quæ sint causæ excusantes canonicos a chori interessentia, quin distributiones amittant? R. Quod in cit. cap. De clericis non residentibus assignantur tres causæ. Prima est infirmitas: secunda, justa & rationalis corporis necessitas: tertia, evidens Ecclesie utilitas. Absentes ob quodcumque aliud impedimentum, esto legitimum, licet non peccent, amittunt distributiones; eas vero lucrantur absentes ob quamlibet ex præfatis tribus causis: non autem Minutas, quæ ob anniversaria impertiuntur ex voluntate testatorum interessentibus, quibus jure naturali debentur.

88. Inq. 2. Quæ sit infirmitas excusans canonicos a chori assistentia? R. Quod gravis infirmitas apud omnes excusat;

levis vero minime: quia a gravi obligatione solum gravis causa excusare valet. In dubio extra iudicium arbitrio viri prudentis, in iudicio arbitrio iudicis standum est.

89. Inq. 3. An qui sua culpa infirmantur, amittant distributiones? R. neg. Quia privilegium vere infirmis absolute concessum est. Si autem data opera, ut a choro absit, contrahat quis infirmitatem, satis probabile dicit Concina loc. cit. cap. 11. §. 3. num. 4. gaudere eodem privilegio: quia jura infirmitatem, non intentionem respiciunt. Sed non consequenter procedit: quia ipse in aliis præceptis acriter propugnat, quod fraus nemini debet patrocinari, erg. ne in consequentiam incurrat, debet in præsentem idem resolutorie tenere, dicereque infirmum fraudulentum amittere distributiones, saltem quamdiu mutata voluntate serio non peniteat, ut dicitur circa fructus beneficii de projectante breviarium in mari. Vere infirmus, seclusa fraudulenta intentione, lucratur distributiones, esto ante infirmitatem consuevisset aliquoties a choro abesse, quia crimen præcedens non tollit, quod sit vere infirmus, nec perpetratum præsumitur in fraudem suæ obligationis, in casu dubii consulendus est Episcopus. Vid Inst. 107. Benedic. XIV. ubi plura in venies circa hanc materiam.

90. E contra absens a loco residentie absque legitima causa, ibique infirmus, distributiones amittit, quia præsumitur abesse non tam ex infirmitate, quam ex malitia; secus, si ex legitima causa aberat, quia tunc ipsa infirmitas iudicatur causa absentie. Laborantes podagra, vel alio impedimento intrinseco accedendi ad chorum lucrantur distributiones: quia vere absunt ob infirmitatem. Similiter senes, qui ratione, non ætatis præcisæ, sed debilitatis, vel periculi gravis in salute a choro absunt, eas lucrantur. Surdi tenentur choro interesse, quia non laborant infirmitate assistentiam a chori impediente. Cæcus, quidquid in contrarium dicat Concina, liberatur chori interessentia, lucraturque in absentia distributiones juxta plura decreta sac. congreg. apud sapientissimum Labertinum Inst. 107. §. 8. num. 48.

91. Inq. 4. Quænam sit justa & rationalis

bilis corporis necessitas? R. Quod, quoties assistentia ad chorum affert grave periculum vite, salutis, honoris, famæ, aut fortunæ, rationalis necessitas excusans a chori assistentia censetur. Unde qui medici timorati consilio domi manet, vel ad balnea pergit, vel ad salubrioris aeris locum pro salute recuperanda proficiscitur, vel qui per vim detinetur, aut injuste incarceratur, lucratur distributiones. Canonicis causa pestis absentibus debent quotidianas distributiones. S. Congreg. censuit apud. Prosp. Lambert. citat. instit. Absens ob excommunicationem injustam non amittit distributiones, quia sine culpa nemo puniri debet: excommunicatus autem juste, sive vitandus, sive toleratus, suspensus, aut interdictus, licet choro assistat, nec fructus, nec distributiones lucratur; seclusa consuetudine, quam pro excommunicatis interessentibus adesse in Hispania testantur non pauci. Factus irregularis post acceptum beneficium choro assistens, suas facit distributiones, quia irregularitas non impedit assistentiam divinis officiis.

92. Inq. 5. Quæ Ecclesie utilitas excuset a chori assistentia? R. Quod debet esse evidens, certa, gravis, & in bonum propriæ Ecclesie cadens. Nam utilitas alienæ Ecclesie, aut levis, in casu dubii propriæ non sufficit ad excusandum. Utilitas autem universalis Ecclesie procul dubio excusat; quia utilitas communis in utilitatem cujusque propriam cedit. Judicare in dubio absentiam cadere in propriæ Ecclesie utilitatem relinquatur arbitrio prudentum, ut dum a proprio capitulo eligitur quis ad aliquod negotium, etiam extra locum beneficii peragendum, utilitati propriæ Ecclesie inservire iudicatur; nisi in casu particulari recurrendi ad sedem

Apostolicam pro instructione electionis. Ex cap. Cum non deceat, de clericis in 6.

93. Unde lucratur distributiones 1. Missus a suo Episcopo ad visitanda ejus nomine Limina Apostolica, vel ipsum in tali causa comitatur, quia agit negotium Ecclesie: de ejus statu Pontificem instruendo. 2. Qui a capitulo mittitur in Concilium generale, vel provinciale ut Theologus, Canonista, vel Procurator. 3. Missus ut Legatus ad Papam, vel Principem. 4. Assignatus a capitulo ad sumendam rationem reddituum, & honorum Ecclesie toto tempore necessario ad rationis expeditionem. 5. Designatus a capitulo Vicarius generalis, Sede vacante. 6. Curam animarum habens, & occupatus tempore chori in administrandis sacramentis intra Diocesim in loco sui beneficii. 7. Pœnitentiarius audiens confessiones, vel paratus in Ecclesia ad eas audiendas. 8. Confessarius loco Pœnitentiarii, ob istius absentiam, subrogatus. 9. Designati in ejusdem adjutorium, ut multitudini pœnitentium satisfieri possit. 10. Canonicus Lectoralis, & Magistralis, dum in propria Ecclesia legit, aut concionatur, cui plus, aut minus temporis indulgetur, ad se concionam præparandum juxta Ecclesiarum consuetudinem. 11. Ad defendenda jura sui capituli, propriæ Ecclesie vel sui beneficii absens; quia in his omnibus propriæ Ecclesie utilitati deservit. Absens vero pro defensione proprii juris ad beneficium adversus alterum, amittit distributiones; quia tunc non in Ecclesia utilitatem, sed ob commodum proprium abest. Excepto aliquo casu raro, nequeunt tempore officiorum celebrari capitula, quibus præbendati tenentur sub gravi regulariter interesse, secluso tempore vacationum, quod ipsis causa recreationis conceditur a Tridentino loco supra laudato,

TRACTATUS TRIGESIMUS SECUNDUS

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

Beneficia Ecclesiastica supponunt ordinem clericalem, fundantque obligationem recitandi officium divinum: unde ob connexionem doctrinae, post notitiam ordinis, & officii divini, opportunum putamus de Beneficiis instituire tractatum, in quo ea, quae alii prolixiori calamo disputant, unico capite breviter absolvemus.

CAPUT UNICUM

De omnibus, quae ad beneficium ecclesiasticum spectant.

PUNCTUM I.

De natura, & divisione beneficii ecclesiastici.

1. Inq. 1. Quid sit beneficium ecclesiasticum? R. Est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae propter aliquod officium spirituale, auctoritate Ecclesiae constitutum. Dicitur jus: quia ex iustitia beneficiario debentur proventus, tamquam laboris merces. Additur perpetuum, ad differentiam pensionis, quo perpetua non est, sed morte pensionarii deficit. Aliae particulae percipiendi fructus Ecclesiae denotant, quod bona, ex quibus tales fructus percipiuntur, debeant esse Ecclesiae. In principio fideles ad sustentationem ministrorum tradebant Ecclesiae sua bona, ex quibus, facta divisione, beneficia erecta fuerunt. Propter aliquod officium spirituale, administrandi nempe sacramenta, vel saltem canendi, seu recitandi divinum pensum. Ultima clausula auctoritate Ecclesiae constitutum, declarat, beneficium debere erigi auctoritate Papae, vel Episcopi.

2. Unde ad beneficium ecclesiasticum sex conditiones requiruntur. Prima, quod auctoritate Episcopi sit fundatum. 2. Quod habeat quid spirituale annexum. 3. Quod soli clerico conferri possit. 4. Quod sola persona ecclesiastica conferre illud valeat. 5. Quod sit perpetuum, & non ad certum

tempus. 6. Quod non possit collator illud sibi conferre, & absolute sine aliqua conditione alteri debeat impertire.

3. Inq. 2. Quotplex sit beneficium ecclesiasticum? R. Esse multiplex. Primo enim dividuntur beneficia in *majora*, & *minora*. Majora sunt Papatus, Episcopatus, & Abbatiae; Minora sunt caetera inferiora. Secundo dividitur beneficium in *saeculare*, & *regulare*: istud solum regularibus, illud saecularibus solum conferri debet. Nisi beneficium probetur esse regulare, censetur esse saeculare. Si vacaverit morte saecularis, saeculare, si obitu regularis regulare praesumendum est. Hinc saecularis non est capax beneficii regularis, nec regularis capax est beneficii saecularis curati; imo nec simplicis, ut indicat illud axioma de promptum ex cap. *Possessiones* 10. de reb. Eccles. non alienandis: *regularia regularibus, saecularia saecularibus*. Potest regularis de consensu Episcopi esse adjutor Parochi saecularis, seclusa dispositione peculiari in oppositum: quando cappellania postulat conferri cognatis, seu consanguineis, potest, & debet conferri propinquiori, etiam regulari, Episcopatus, sicut & Papatus abstrahit a saeculari, vel regulari, & utrique conferri aequae valet. Numquam tamen conferendus esset, nisi nolenti, & fugienti, qui enim eas dignitates curant, & ambiunt, nesciunt, quid faciunt.

4. Tertio dividitur beneficium tam saeculare, quam regulare in *duplex*, & *simplex*. *Duplex* est, quod habet jurisdictionem in clerum, & populum, & administrationem rerum Ecclesiae, hujusmodi sunt Papatus Cardinalatus, Episcopatus, Abbatiae, & etiam Dignitates Decanatus, Archidiaconatus, & omnia beneficia, quibus cura, & regimen animarum annexum est. *Simplex* dicitur, quod nulla jurisdictione, administratione, aut praemittentia gaudet, sed tantum officium fundendi preces, canendi in choro, aut altari inserviendi habet, ut canonicatus, cappellaniae, aut alia sim-

Cap. Unicum De omnibus, quae ad beneficia ecclesiastica spectant. 221

simplicia beneficia. Quarto dividitur in *electivum*, *collativum*, & *mixtum*. *Electivum* est, quod a pluribus confertur per electionem, a Superiori confirmandam. *Collativum* est, quod absoluta Superioris voluntate confertur. *Mixtum* est, quod Patrono designante, atque Episcopo instituente, & confirmante confertur.

5. Quinto dividitur in *titulare*, & *commendatum*. Primum confertur ad totam vitam cum plenitudine juris. Secundum datur solius administrationis externae, & custodiae causa. Si autem datur ad vitam commendatarii, aequivalere titulari collato cum plenitudine juris. Sexto dividitur in *compatibile*, & in *incompatibile*. Primum est, quod non impedit munia alterius; & sic cum alio compatitur, ut duae cappellaniae, quarum onera ab uno solo impleri queunt. Secundum est, quod impedit munia alterius: qua ratione non compatitur cum eo: ut duo beneficia curata, aut duo canonicatus: quia licet isti non habeant curam animarum, requirunt tamen duplicem personam. Nisi sint duplices Ecclesiae, quibus interesse valeat, ob earum proximitatem, & differentiam temporis officiorum. Aliqui etiam dividunt beneficium in *manuale*, & *non manuale*; sed improprie, quia manuale non est proprie beneficium ecclesiasticum, cum auferri possit ad nutum collatoris.

6. Dignitates, seu officia regularia, ut Generalatus, Provincialatus, Prioratus, & similia non sunt proprie beneficia ecclesiastica: quia licet jurisdictionem habeant, tamen non conceduntur in titulum, nec praeserunt jus perpetuum fructus Ecclesiae percipiendi; quod exigitur ad beneficium proprie tale. Similiter patrimonium ad cuius titulum, quis ordinatur, non est beneficium. Dignitas Vicarii generalis Episcopi, seu Provisoris, aut Vicarii temporalis Parochi non est beneficium: quia est ad nutum amovibilis. Verum Vicaria perpetua in Parochiali est proprie beneficium: quia perpetuo potitur jure ad fructus percipiendos; propter eandem rationem clericus, curam habens hospitalis, auctoritate Episcopi designatus cum proventus annuis perpetuo percipiendis, proprie beneficiarius est. Praestimonia etiam sunt proprie beneficia ecclesiastica.

7. Circa originem beneficiorum scien-

dum est, semper in Ecclesia fuisse beneficia: quia semper ab initio habuit Episcopos, Presbyteros, Diaconos, qui populum in spiritualibus erudirent, & pascerent. Alebantur ex bonis, & oblationibus fidelium, qui praedia vendentes, eorum pretium Apostolis tradebant, ut constat *Actor.* 4. & 5. Temporis autem decursu consultius visum fuit conservare praedia, eorumque redditibus Episcopo traditis, subvenire Ecclesiae ministris, qui communiter, ut nunc religiosi, in aliquo caetu, seu collegio debebant. Denique cessante communi clericorum vita, & habitatione, Simplicius Papa redditus Ecclesiarum in quatuor partes divisit. Primum Pontifici, seu Episcopis applicavit. Secundum clericis juxta eorum merita. Tertium fabricae Ecclesiae, & quartum pauperibus. Quod postea Gelasius, & alii Pontifices confirmarunt. Ex hac igitur partitione fructuum cum aliis, quae ex devotione fidelium in dies accrescunt, beneficia conflantur. Verum divisio haec non tribuit beneficiario absolutum dominium sui beneficii, quia reliqua, praeter congruam sustentationem, tenentur ex iustitia pauperibus distribuere, ut diximus *tract.* ix.

PUNCTUM II.

De cappellanis.

8. Inq. 1. An cappellaniae sint propriae beneficia ecclesiastica? Pro responsione nota, quod cappellaniae sunt in duplici differentia: nam aliae eriguntur privata auctoritate laici fundatoris absque intervenitu Episcopi, & dicuntur *laicae*. Aliae instituuntur media auctoritate Episcopi, & conferuntur, solis clericis in perpetuum, appellaturque *collativae*: quo supposito.

9. R. 1. Quod cappellania, primo modo erecta, nec est beneficium ecclesiasticum, nec exigit praefixam aetatem, nec tonsuram in recipiente, nec pro ea debetur subsidium, nec adstringit ad horas canonicas: quia nullus sine Episcopi auctoritate beneficia ecclesiastica erigere valet. Poterit autem quis ad titulum ejus ordinari, tamquam ad titulum patrimonii saecularis. R. 2. Quod cappellania auctoritate Episcopi erecta, est proprie beneficium ecclesiasticum. Et licet a Patro-